



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem  
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem  
Disputationes in Capita diuisas

**Vázquez, Gabriel**

**Antverpiæ, 1621**

Dispvt. XXXIV. Vtrum æuum sit mensura rei permanentis, an non.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

*Obiectio.*

*Solutio.*

35

Cæterum arguunt aliqui. Sicut Angelus non potest in maiori, & maiori loco constitui, nisi modus existendi in illo extendatur: ita substantia aliqua esse non poterit in maiori, & maiori tempore, sine aliqua extensione, quæ succedat. Verum hæc ratio friuola est, primum, quoniam nulla res est sub tempore nostro successio, ratione alicuius modi, quem in se habeat: sed solius duratione, & esse simul dicitur cum tempore existere, & ipsa perseverare potest sine eo quod in se mutetur, etiam si tempus, sub quo dicitur esse, succedat: sicut locus mansens idem, existit, & amplectitur fine sui successione plura corpora, sibi inuicem succedentia: & Deus etiam sine ulla successione simul est cum tempore succedente. Deinde quod Angelus, quando est in maiori loco dicitur habere modum magis extensum, non debet intelligi de extensione quantitatis, sed de ea, qualis est in habitu, respectu plurium conclusionum, hæc autem necessaria est, quia Angelus, & spiritus coniungitur corpori, non proxime per suam substantiam, sed per aliquem modum, quo ipsi vivit, ut infra suo loco dicemus. Quare non est eadem ratio vtriusque, ut argumentum contendebat.

## DISPUTATIO XXXIV.

Vtrum æuum fit mensura rei per-  
manentis, an non.

*Varia de hac re opiniones, cap. I.*

Facilior sententia, cap. 2.

## CAPVT L.

*Varia de hac re opiniones.*

Annum men-  
suram esse  
verum per-  
manentium.  
S. I. homas.  
Caietanus.  
Alexand.  
Albertus.  
Ægidius.  
Henricus.  
Bonavent.  
Ricardus.  
Argent.  
Capreolus.  
Scotus.

**E**X hac quoque controuersia exacte intelligemus naturam æui, & quæ ratione deferat a tempore nostro. Est autem in ea Doctorum quorundam opinio, qui censent, æuum esse mensuram rerum permanentium, sicut æternitatem ipsius Dei. In quam opinionem consentiunt *S. Thom. 2. 2. & 6. Cæteranis, & recentiores Thomistæ* ibidem: *Alexander 1. part. 12. mem. 9. art. 3. ad 2. & Art. 2. Albertus de quatuor coevis q. 3. art. 3. Agædus tract. de mensura Angelorum, q. 2. Henricus quodlib. 1. q. 11. Bonauent. in 2. 1. p. d. art. 1. q. 1. & 2. Ricard. art. 1. q. 1. & 2. Thomas de Argentina q. 1. art. 3. & Aprieolus q. 2. art. 1. concl. 5. & 6. Scotus q. 2. 8. ad secundam partem, & q. 7. Elle autem æuum mensuram rerum spiritualium, sicut tempus est corporalium, in quo (vt dixi) hi omnes Doctores conueniunt, probatur. Quoniam sicut quæ temporalia sunt, & subiecta motui atqueuarietati, suam propriam habent mensuram, scilicet tempus sic immortalia, & permanentia suam quoque habere debent, quæ sit alterius rationis. Nam si res immortales, & incorporeæ temporis mensuræ semel subijciamus, Deus etiam tempore desinit poterit: quod est absurdum. Hanc vero mensuram altioris ordinis æuum appellamus. Hanc sententiam recentiores aliqui Theologi, in obseruatione circa hos tres articulos, putant esse *Dionysii, & Basilii* locis citatis, atque *August. lib. 3. q. uesq. 19. & 72. Cæterum in assignanda æui mensura non omnes Doctores cōmemorati eodem modo sentiūt. Varios ergo modos opinandi referemus, vt ipsorum sententiam in vniuersum examinare possimus.**

Dionys.  
Euseb.  
Augustin.

*A Eum mē-  
sura est eius  
cuius est du-  
ralis.  
Bonavent.*

Primus modus opinandi est Bonaueni. A Egidij, & Thomae de Argentina, qui docent, præter communem quandam extrinsecam mensuram, qua res omnes

immortales definiuntur, esse in vnaque illarum  
aeternum, quod est cuiusque intrinseca, & prop-  
ria mensura. Probat verum Thomas, aeternum cuius-  
que rei esse ipsius mensuram: quia non omnia im-  
mortalia, quae sub eodem continentur & viuunt, simul  
inceperunt, vt de animabus constat: debet igitur in  
vnaqueque esse sua mensura, quae cum sit ipsi pro-  
pria, certior quoque sit. Præter hanc verum, esse cō-  
munem aliam æui superioris, hac ratione suadet,  
Sicut in alijs rebus, quæ corrumpuntur, præter in-  
trinsecam cuiusque mensuram quæ est ipsius dura-  
tio, est quædam communis, & extrinseca, quæ om-  
nes metiuntur, scilicet tempus: eodem modo in An-  
gelis esse debet. Ex ijs autem Doctores Bonae-  
uentura non tam aperte hanc communem mensuram  
concedit: Aegidius vero hanc mensuram putat  
esse Dei, aeternum, & æternitatem: Thomas au-  
tem aeternum superioris Angeli, cum quo multi alij  
in hoc cōueniunt, vt in hac quaestione videbimus.

*Aegidius.*  
*Argentina.*

Secundus modus est Scoti, qui duo dicit. Vnum est, nullam esse durationem esse mensuram Angelicam alterius rei, in qua est. Sic tradit questione illa 2. §. *Ad secundam partem*. Probat vero quia mensura semper differt a re, quam mensuratur; idem enim non definitur, nec metitur se ipsum. Nam quamvis eadem quantitas interdum se ipsam metiatur, hoc tantum fit, assignata parte quadam illius, & super reliquam replicata per intellectum: atin Angelus nihil est huiusmodi. Deinde æquum Angelis ab ipsa Angelis substantia non distinguitur: ergo non est eius mensura.

Aleum non  
est mensura  
angeli, in  
quo est, se-  
cundum  
Scotum.

Alterum, quod docet *Scotus* q. 7. est, aliquod esse æuum, quod est mensura extrinseca Aug. lo- rum. Hoc autem trifariam (inquit ille) explicari, aut defendi potest. O nullo vero priori modo, qui est de mensura perfectionis, non durationis, i- cundum quem perfectior species dicitur reliqua- rum mensura, de qua non est nunc controversia: duo alij supersunt. Alter est, vt æuum cuiusque su- perioris Angeli sit mensura inferioris, & hoc or- dine vsque ad vitimum. Probat autem, superioris durationem esse mensuram inferioris Angeli, quia mensura debet esse sueptæ natura notior re, quam metitur: licet interdum alicui intellectui, nempe humano, quod imperfectus sit, mensura non sit notior natura sua: sed superioris Angeli æuum natura sua notius est, quia perfectius, quam inferioris: ergo illud est inferioris mensura. Alter est, vt sit vnum tantum æuum, duratio videlicet supremi Angeli, quod sit omnium aliorum men- sura. Hoc vero probat eadem ratione, quā S. Tho- mas assertit in confirmationem suæ sententiæ, quia mox referemus. Quocumque vero modo loquamur, ex doctrina superiori necessario faten- dum est, supremum Angelum nullius aut mensuram habere, non proprii, quia nihil se ipsum me- titur; vt diximus ex doctrina ipsius Scoti: non in- ferioris, quia mensura debet esse superior re, quam metitur, vt ipse quoque docet; non superioris, quia nullam habet, caret ergo mensura.

Aliquod esse  
enim quod  
sit mensura  
extrinseca  
Angelorum.

S. Thomas.

Tertio modo philosophatur S.Th. *Caiet. Alexan-*  
*der, Albertus, Henricus, Ricardus, & Capreolus*, qui re-  
centioribus maxime probatur. Affirmant autem  
omnia immortalia sub vno communi aucto tan-  
quam sub mensura contineri, Tametsi Ricardus,  
& Henricus asserant æquum illud commune, non  
esse eorum, quod sub eo includitur, proprie men-  
suram, eo quod non est cæterorum causa: sicut

motus celi, qui, cum sit aliorum causa, optime dicitur esse eorum mensura. Verum, ut optime notatur S. Thom. art. 6. ad 4. Albertus, & alij, ut aliquid sit alterius mensura, non est necesse, esse illius causam: id quod sequenti disput. manifestum fiet.

In horum autem sententia videtur dicendum, illud supremum ævum non solum esse inferiorum rerum mensuram, sed ipsius etiam supremi Angelij, in quo est, ut ita omnia immortalia sub mensura contineantur, sicut omnia corporalia sub tempore: id quod expresse docuit Caietan. art. 6. quamvis reliqui nullam fecerint de hac re mentionem. An vero cuiusque Angelij ævum ipsi possit esse mensura, non satis explicant Doctores citati. Ex recentioribus vero videntur aliqui docere, intellectui cuiusque Angelij proprium ipsius ævum esse sui mensuram, ex quo in sententiam Argentinæ, & aliorum inclinatur. Hæc opinio eiusdem rationibus confirmatur, quibus sententia Argentinæ, & Scoti ea parte, qua cum ea convenit. Quare non est opus eas repetere.

## CAPUT II.

Facilior sententia.

Go quidem cenſeo hanc controuerſiam non erum, ſed vocum eſſe: ac propterea Doctores ſecum pugnare, quod non eodem modo rationem menſuræ accipiant. Verum iuxta ea, quæ de menſura ex Ariſtotele tradidimus diſp. 30. c. 5. faciliorem de hac re ſententiam colligere poſſumus: quam arbitror nulli dubiam fore, qui rationem menſuræ traditam ab Ariſtotele admiſerit: ſententia vero eſt, neque ævum aliquod ſupremum, neque ævum cuiusque rei immortalis eſſe menſuram, aut ipſius in quo eſt, aut alterius. Eam tradunt Durand. in 2. d. q. 5. Gabriel. q. 1. a. 2. conſuſ. 5. & 6. & art. 3. dub. 1. Okam in 2. q. 13. In cuius confirmationem duo nobis probanda ſunt, vnum autem ſupponendum. Illud vero eſt, in quacunque rei immortali eſſe propriam durationem, quod ipſius ævum appellatur. Sicut enim in quocunque motu eſt ſua duratio, quæ ab eſſe illius non diſtinguitur, (non dico menſuram, nec tempus) ſic etiam in vnaquaque re permanenti, ſive immortalis, ſive corruptioni obnoxia: neque enim res dicitur in ſuo eſſe perſeuerare, & durare duratione alterius, hoc eſt, quia alia res durat, ſicut nec dicitur quantitas alterius quantitate: tamenſi duratione alterius, ſicut etiam quantitate alterius, tanquam menſura dicitur deſignari.

Hoc poſito, quod omnibus certiffimum, & citra controuerſiam eſt, in quo nobiſcum convenit Scotus, prior pars noſtræ opinionis probanda eſt, nimirum ævum cuiusque rei proprium, non eſſe ipſius menſuram. Loquimur autem non de menſura perfectionis, ſed durationis, quæ communiter iuxta definitionem Ariſt. 10. Met. c. 2. & 3. menſura dicitur. Probat igitur Okam, & Gabriel, quia menſura Angelij vel eſt eſſe ipſius, vel reſpectus aliquis in eo fundatus: non primum quoniam idem non poſſe eſſe ſui menſura: cum ergo id, quod menſura deſignatur, ſit exiſtentia Angelij, ipſum eſſe, ſive exiſtentia, quod idem eſt, non poſſe eſſe ſui menſura: nec reſpectus aliquis, nam menſura debet eſſe notior re, quam metitur, reſpectus vero ille non poſſe eſſe notior: neque aliquid ex utroque conſtat: nulla igitur eſt intrinſeca menſura in ipſis rebus immortalibus. Mirro rationes

Vaſq. in 1. partem Tomus I.

aliàs hõrum auctorum, quæ mihi non placent: imo & hæc, quam retuli, non omnino explicat, & probat id, quod propoſuimus.

Optima eſt ergo ratio Durandi, quæ mea ſententia vnicum, & firmiſſimum eſt huius rei fundamentum. Ea vero petita eſt ex definitione menſuræ ab Ariſtotele tradita, quam quidem quoniam diſp. 30. c. 5. fuſius explicauimus, ut probaremus, æternitatem Dei non eſſe menſuram ipſius, eam hic ſolum attingemus. Ratio autem eſt in hunc modum: Duratio cuiusque rei licet ipſam reddat menſuræ ſubiectam, ſicut quantitas efficit rem, in qua eſt, tamen non poſſe quantitas eſſe id, quo res ipſa cognoscitur, & finitur, ut late demonſtrari in ea diſputatione cap. 5. notatione 3. ſed aliunde extrinſeca alia duratio ab intellectu adhibenda eſt, cui propria definitio menſuræ tradita ibidem notatione 2. conuenit: nec ſolum ſubſtantia rei cognosci, & deſignari non poſſe ſua ipſius duratione ab intellectu noſtro, ſed neque ab Angelico, aut diuino: ſicut ibidem probatum eſt, quia menſura eſſe debet aliquid extrinſecum rei, quam metimur. Quare optime docuit Scotus ævum ſuperioris Angelij ita eſſe aliorum menſuram, ut ſui ipſius eſſe non poſſit: cuius oppoſitum immerito docuit Caietan. in art. 6. quæ ſupra retulimus: ex quo reſutata manet ſententia Bonaventuræ, & aliorum, quatenus affirmat, ævum cuiusque Angelij eſſe ipſiusmet Angelij menſuram.

Posterior pars noſtræ ſententiæ eſt, nullum ævum, etiam ſuperioris Angelij eſſe extrinſecam menſuram alterius: id quod ex eadem doctrina tradita diſp. 30. cap. 5. facile probant Durandus, Okam, & Gabriel: nam menſura debet eſſe notior re, quam metitur, ut inibi explicatum eſt: ſiquidem per illam de quantitate, aut pondere, aut duratione rei, quam metimur, certiores reddimur: quoniam nihil eſt aliud metiri rem aliquam, quam quantitatem, pondus, aut durationem illius per aliam deſinite cognoscere: omnis enim menſura, alicui intellectui menſura eſt, ut eo loco diximus: ævum autem ſuperioris Angelij, etiam ſuperioris, non eſt notius ævo inferioris, quatenus duratio eſt ad modum quantitatis extenſa: ergo non poſſe eſſe menſura inferioris.

Porro ævum ſuperioris Angelij non eſſe notius, inductione conſtat, primo non eſt intellectui diuino, ipſi enim omnia æque patent, & manifeſta ſunt, nec vnum per aliud deſinit: ſecundo non intellectui Angelij ſuperioris: ſis enim tamenſi videat, ævum ſuum eſſe naturæ perfectioris, ſuamque ſubſtantiam minus ſubiectam varietati, quam inferioris, ex quo eam tanquam regulam & menſuram perfectionis habet: tamen ex ſua duratione non redditur certior de duratione inferioris, quanta ſcilicet fuerit, in quo conſiſtit propria ratio menſuræ, de qua diſputamus. Videt enim omnes ſimul incepiſſe, & perſeuerariſſe: & quamvis aliquis eorum poſtea incepiſſet, ſicut animæ, ex ſua tamen duratione non cognosceret, quanta eſſet aliorum duratio, quare nec eam metiri poſſet.

Tertio non eſt notius ævum ſuperioris Angelij intellectui Angelij inferioris: ſuam namque durationem quiſque ita bene nouit, ut duratione alterius eam melius non cognoscat, & deſiniat: quare alterius ævo non videtur ut inſtrumento ad diſcernendum, quantum ipſe durauerit. Quod enim ipſe dicat, & cognoscat, ſe tantum durariſſe, quan-

Q 2 tum

rura supremus Angelus duravit, non est suam durationem ævo superioris definire: perinde enim esset, ad ævum inferioris eam referre: quare suum ævum non minus sibi esset mensura superioris, quam superioris ævum esset mensura sui. Quarto denique ævum superioris non est notius intellectui nostro, ut experimento constat, cum de vnius duratione nullo modo per aliud certiores reddamur, sed solo tempore nostro: ut sequenti cap. dicemus, superest igitur, ut nullum ævum sit alterius mensura, cum nulli intellectui ad hoc possit deferuire.

*Recentiorum solutio.*

9

Respondent recentiores aliqui, mensuram non debere esse notiorum intellectui, qui ipsa vitur, sed satis esse, si suapte natura notior sit: huiusmodi est ævum superius, quod cum perfectius sit, notius quoque est natura sua: veluti motus cæli intellectui nostro non est notior motibus inferiorum, est tamen illorum mensura, quoniam suapte natura notior est.

*Refellitur.*

Hoc tamen responsum facile refellitur, primum ex ipsa definitione mensuræ: ut enim probauimus disp. 70. c. 5. de ratione mensuræ est ordo, & relatio ad intellectum, cuius proprium est certiorum effici alicuius quantitatis, aut alicuius se habentis ad modum quantitatis, quod est metiri rem quantam: quare mensura est instrumentum intellectus, qua rem aliquam metitur, & definit, ac proinde intellectui ipsi definienti mensura ipsa debet esse notior: nam si ipsi non esset notior, nec ut instrumentum ad metiendum seruire posset: ergo parum refert, ut aliquid sit mensura, esse natura notius: sed opus est, notius esse intellectui, qui ea vitur.

*Motus cæli notior est motibus horum inferiorum.*

Deinde falsum est, motus horum inferiorum nostro intellectui notiores esse motu cæli: nam præterquam quod non posset ille tanquam mensura horum inferiorum nobis deferuire, ut ex prædictis constat, quod est absurdum: tamen quatenus ævum superioris mensura, nobis est omnium notissimus. Licet enim, si causas spectemus, atque alias motuum proprietates, & modos, notiores nobis sint motus inferiorum, quos ob oculos quotidie habemus: tamen motus cæli, quatenus est duratio quædam, & habet rationem mensuræ, notior est, quia eadem proportionem in sua successione perficit, quocirca merito tanquam regula cæterorum constituitur, quæ intellectui ipsa vitenti notior esse debet. Hoc etiam experimento constat: nam si aliquem interroges, quantus fuerit ludus, quanta fuerit lectio, vel alia id genus in his inferioribus, nullus poterit illorum durationem explicare, nisi conferat ea cum motu cæli, vel cum aliquo motu inferiori prius per motum cæli definito: qualis est motus horologii, aut aëne, aut aque. Qua de causa, ut paulo post explicabimus, motus cæli nobis est tempus, eo quod instrumentum sit, quo metimur cæteros motus, in dies, menses, & annos, ipsius etiam cæli luminaribus ad hoc ipsum à Deo distinctum, qui etiam aliam artificialem addimus diuisionem, in horas nempe, & minuta, ut ita ad breuiorem vnitatem hæc mensuram reducamus, quæ nobis commodius, & ad plura metiendum deferuire possit.

*Tempus quid*

Et quo (ut hoc obiter dicamus) sit, ut tempus licet sit in motu, non tamen in quocunque, ut recentiores aliqui censent. Tempus enim formaliter non est solum duratio motus, quæ sanè in quouis reperitur propria, sed est duratio primi motus ita ab intellectu diuisi, & distincti, ut ad metiendum

alios motus instrumentum, & mensura esse possit, ad quam cætera reducuntur: atque adeo dictum est tempus ab Aristotele numerus motus, ac si diceretur motus diuisus ab intellectu, & ab eo ad metiendum alias durationes assumptus. Quamobrem subiungit, si impossibile esset numerantem esse, scilicet intellectum, impossibile etiam fore numerum esse, nempe numeratum, quem dixit esse tempus. Est igitur tempus aut ens rationis, relatio scilicet mensuræ in motu, aut saltem eo completur: quare nec in prædicamento realis quantitatis esse debet ips, quæ dicta sunt, non modo confirmata manet posterior pars nostræ sententiæ, sed etiam aliorum opinio confirmata, quatenus dicit esse vnum ævum, quod sit reliquorum extrinseca mensura, vel quodcumque superius ævum esse posse mensuram inferioris, ut Scotus putauit.

*Solutio præmi.*

Argumenta vero opposita ex prædicta doctrina diluere, non erit difficile. Ad primum, quod omnibus commune erat, respondeo, non opus esse assignare superiorem aliquam mensuram spiritualibus rebus propriam: nam cum mensura suapte natura non sit aliquid superius re, quam metitur, non est necesse, ut superiores substantiæ præstantiorem habeant mensuram: sed cum mensura sit instrumentum intellectus, ea erit mensura, qua intellectus vitur ad metiendum: cumque nullus possit vi ævo superiori ad definiendum ævum inferioris, sit, ut nullum ævum etiam superius, sit inferioris mensura: an vero tempus esse possit rerum spiritualium, & quo pacto nequeat Deo applicari, sequenti disp. dicemus. Neque vero vllus ex Patribus vquam docuit, ævum esse mensuram Angelorum: illi enim, quos disp. 33. c. 1. commemorauimus, asserunt, ævum etiam accipi pro duratione, & quasi ætate Angelorum, quod nos quoque concedimus. An vero possit subesse mensuræ, & quæ sit eius ratio formalis, quæ & ab æternitate, & tempore differt, sequenti disp. videbitur. Reliquis demum singularum opinionum argumentis ex prædicta doctrina puto etiam satis factum.

#### DISPUTATIO XXXV.

An ævum Angelorum tempore nostro, tanquam mensura definiri possit?

*Quid senserint S. Thomas, eiusque discipuli, & Durandus, cap. 1.*

*Tempus nostrum esse mensuram durationis Angelorum, eamque homogeneam, quod est proprium omnis mensuræ. cap. 2.*

*Quæ sit definitio, & natura æui, cap. 3.*

#### CAPVT I.

*Quid senserint S. Thomas, eiusque discipuli, & Durandus.*

**N**ondum perfecte definitionem æui, quam inuestigandam nobis proposuimus, assecuti sumus: eam tamen ex hac breui disputatione, quæ est veluti superioris appendix, paucis absoluemus: in hac vero controuersia variant etiam Doctores.

Prima sententia est S. Thomæ quodlib. 10. art. 4. & S. Thomæ Capreoli locis superiori disput. citatis, quos recentiores aliqui sequuntur, qui censent tempus quidem esse nobis mensuram Angelorum: quia eo intellectus noster durationem illorum definit: at suapte natura, & secundum se non tempus, sed ævum eorum esse mensuram, sicut superiori disput. Angelorum.

ex